

1  
1  
2a  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11



12424.

16.  
28

1671.  
13

Q. D. B. V!  
 DISPUTATIO INAUGURALIS  
 De  
**OBLIGATIONE  
 CIVITATIS EX  
 CONTRACTU  
 MUTUI**

Ex  
*Famosa L. Civitas ff. de R. C. deprompta*

Quam  
 PRÆSIDE

**DEO TER OPT. MAX.**

Authoritate & Decreto

**MAGNIFICI NOBILISSIMI ATQUE  
 CONSULTISSIMI ICTORUM  
 ORDINIS**

In inclyto Noricorum Athenæo


Pro

Summis in utroque Jure Honoribus ac  
 Privilegiis DOCTORALIBUS ritè  
 legitimeque capessendis

*Solenni & Publico eruditorum examini submittit*

**JOHANN-WOLFGANG Wieland/  
 Biberaco-Suevus.**

*Ad diem 20. Novembr. A. O. R. M. DC. LXXI.*



ALTDORFFI

Typis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.





# CUM DEO!

## THES. I.

**V**ocabulum Obligationis (quod à verbo *ligare* & præpositione augmentativa *ob* derivatur) latissimè patet, & non tantum ad jus privatum sed etiam publicum referri potest. Quatenus refertur ad jus publicum, significat illam adstrictionem quæ est inter Principem & Subditum, Parentes & Imperantes. Relatum ad jus privatum, accipitur iterum vel latius pro quovis vinculo juris, quo quis ex quacunque causa ad aliquid præstandum vel faciendum adstringitur, & in hac acceptione non tantum res sed etiam personæ constringi dicuntur, §. 5. *Instit. de Except.* vel strictius pro vinculo juris, quo quis ex suo facto delictive adstringitur ad aliquid dandum vel restituendum; hocque sensu rursus accipitur vel generaliter ut comprehendat naturalem Obligationem, vel specialiter pro obligatione Civili, quæ sola *in pr. Inst. de Oblig.* à Justiniano sacratissimo Principe definitur, quod sit vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda secundum nostræ Civitatis jura, vid. *Excellentissimus Dn. D. Ludwell. Exercit. ad Inst. XI. th. 1. lit. b. in fin.* atque ita obligationes, ratione causæ efficientis remotæ possunt dividi in civiles & prætorias. Civiles dicuntur: quæ ex jure civili hoc est Legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Constitutionibus P.P. Responsis prudentum; Prætorias, quæ ex prætoris jurisdictione descendunt *Dn. Struv. Exercit. 46. th. 54. 55. Strauch.*

*Dissert. ad jus Just. XII. Aphorismo 3. Ludwell. d. Exercit. & th. lit. g. Dn. Lauterbach. in suo Coll. MS. ad ff. tit. de Oblig. § Act.*

## II.

Vocabulum Civitas (quæ quasi civium unitas) similiter in ambitu est significationum; interdum enim denotat Populum in civitate existentem, legitimo Magistratui subiectum. *Matth. Stephani de jurisdict. lib. 2. p. 2. c. 1. n. 15.* Nonnunquam qualitatem & conditionem personæ, quæ facit ut quis alicujus Reipublicæ civis sit, jurisque illius communionem habeat *arg. §. fin. de succes. libert.* unde dicebantur olim Civitate Romana donari: exempla recenset *Cicero pro L. Cornel. Balb.* Quandoque accipitur pro Statu, Ordine, & Administratione publicæ confociationis *docente Knipschildt de jur. & privil. Civit. Imperial. lib. 1. c. 1. n. 15.* Denique propriè & frequentius civitas solet accipi pro ipsa societate civili quæ significatio est hujus loci. Describitur quòd sit Societas hominum communibus legibus utentium benè vivendi gratiâ inita. Ab hac definitione re non differre videtur *Hug. Grotii lib. 1. de Jur. Bell. & Pac.* cujus examen cum excedat instituti orbitam aliis relinquo. Hoc tamen monendum existimo, urbis appellationem proprietate sermonis angustiolem esse quàm civitatis; hinc est quòd Urbs sine civitate, & civitas sine urbe esse possit, quamvis concedam hæc duo vocabula sæpius confundi, exemplum extat *in l. 6. § 8. C. de edific. priv.*

## III.

Mutuuum ab eo dicitur quòd ex meo tuum fiat *l. 2. §. 2. ff. de reb. Cred.* hoc tamen potius pro allusione, quàm vera nominis Etymologia habendum esse arbitror, hæcque derivandi ratio non tantum Authoribus valdè familiaris, sed & in jure sæpius frequentatur: sic commodatum dicitur quasi com-  
modo

modo datum, testamentum, quod testatio mentis sit: alia  
 reperiuntur exempla in l. 238. §. 2. de V. S. l. 1. pr. ff. de acq. vel  
 amitt. poss. l. 1. ff. de Novat. l. 1. pr. de just. & jur. Quod si tamen  
 uni atque alteri prædicta derivatio arrideat, ob hanc ratio-  
 nem, quòd mutuum semper contrahatur per veram & actua-  
 lem Dominii translationem, vel quòd Mutuum constitua-  
 tur earum rerum, quarum adeò commutabilis natura, ut al-  
 tera alterius vicem sustineat, vel id quod meum tuo sit similli-  
 mum, utpote ejusdem naturæ quantitatis & qualitatis, tunc  
 posterius largior. Aliter sentit Cujac. l. 11. O. c. 37. qui mutuum  
 à mutuatione deducit, cujus opinioni calculum meum non  
 attribuo. Mutuum autem accipitur vel adjectivè vel sub-  
 stantivè, adjectivè sumptum denotat reciprocum, substan-  
 tivè verò si accipiatur, significat vel ipsam obligationem ex  
 contractu proveniente vel contractum ipsum, & in hoc po-  
 steriori significatu describi potest: *Quòd sit contractus nomi-  
 natus, realis, stricti juris & μονόπλευρος, quo res fungibilis ea lege  
 datur utenda, ut accipientis fiat & ab eo tantundem ejusdem ge-  
 neris restituatur pr. Inst. quib. mod. re contrahit oblig. l. 2. §. 1. & 2.  
 ff. de reb. cred. vid. Excellentissimus Dn. Lauterbach. vir suo me-  
 rito æstumatissimus tract. Synopt. de Mutuo Lit. Obl. & Querela  
 non num. pecun.* Vulgò Doctores mutuum solent dividere  
 I. in naturale & Civile, utrumque in purum & mixtum. II. In  
 verum & præsumtum. III. In gratuitum & fœneratitium,  
 ego cum modò laudato Jurisconsulto unicum tantum agno-  
 sco, rejectis hisce Dd. divisionibus, utpotè quæ non tantum  
 in jure nostro fundamentum habent nullum sed & intrica-  
 tum reddunt hunc contractum & diversas contractuum spe-  
 cies confundunt, frustra igitur Bachovius alioquin subtilissi-  
 mus Jureconsultus supersticiosos eos asserit qui has & similes  
 Doctorum divisiones docendi gratiâ admittere nolunt, cum  
 non ex superstitione sed optima ratione eas tollerare recu-  
 sent.

## IV.

Causa Efficiens remota Obligationis civitatis ex mutuo est jus quod personam ad aliquid præstandum adstringit, proxima est ipsum factum seu conventio contrahentium. Cum autem Civitas non sit vera sed ficta ac mystica persona sensu ac intellectu destituta *l. 7. quod cuiusq. Univ. nom.* quapropter per se sicut non consentire ita nec obligari potest sed requiritur ut per alios id efficiat. Unde receptum est, si in ea viuentes nomine & utilitate civitatis quid gerant, ab ipsa universitate gestum videatur: atque sic jus Civile elicit consensum, & animam ei attribuit cujus respectu personæ vicem sustinere videtur *arg. l. 16. de verb. sig.*

## V.

Constat autem quasdam civitates ad ministrari Aristocraticè & Oligarchicè (ubi omne Imperium ita penes Magistratum & proceres, ut soli totam civitatem repræsentent) quasdam Democraticè (ubi summa potestatis est penes plebem) & extra dubitationis aleam positum, civitatem hoc in casu adstringi, sive à Creditore probata fuerit versio, sive non, *vid. Mev. ad jus Lubecens. lib. 1. tit. 1. n. 68. Matth. Coler. tract. de process. execut. part. 2. cap. 3. n. 361. Hunnius Vol. 1. Dissert. XLIX. th. 5.* Quod tamen non extendendum ad Magistratum per impressionem motum, vel per intrusionem superioris sine ordinaria & legitima Electione succedentem, nisi Creditor (æque ac si administrator contraxisset) versionem in commodum Civitatis probaverit *vid. Col. d. p. 2. c. 3. n. 356. & seqq.*

## VI.

Cum autem non rarò contingat, ut non ipsi cives (qui quando contraxisse videantur eleganter docet *Hort. Pist. lib. 1. Quest. Illust. q. 37. n. 2.*) sed interdum & Administratores

res



res mutuam accipiant; hinc haud levis est concertatio an sc. civitas ex tali mutuo firmiter obligetur? decisionem subministrare videtur *l. 27. de reb. cred.* non aliter eam obligari, quam si ostendatur rem mutuo vel alio ex contractu acceptam fuisse versam in ejus utilitatem, ita Dd. communiter hanc legem & rectè explicant.

### VII.

Quid autem dicendum de Burgimagistris & Senatoribus nostri temporis quorum Jurisdictio annalis est, an etiam quoad eos regulæ *d. l. inhærendum?* Affirmat *Coler. d. p. 2. c. 3. n. 349.* Neque enim Consules & Senatores in plerisque civitatibus omnes cives adeò repræsentant, ut si quid communi omnium horum consensu constituendum sit, id non vocatis aliis expedire queant, neque etiam liberam habent potestatem alienandi bona ad civitatem pertinentia, sed potius decurionibus quibus idem concessum haud fuit æquiparantur *l. fin. C. de vend. reb. civil.* ita in terminis habet *Hart. Pist. d. l. n. 5.* & hanc sententiam non tantum communem sed etiam in praxi observari testatur *Carpz. lib. 2. Respons. Jur. Elect. tit. 10. R. 106. n. 16. & 17.*

### VIII.

Hisce ita præmissis, videndum est, quis teneatur versionem probare? & (2.) quomodò hæc probatio fieri debeat? Versionem verò probare debet Creditor, utpote qui in adimplerione contractus intentionem suam fundat, Interpretes communi ore *per textum in l. 1. C. de solut. & lib. deb. civ. Auth. Hoc. Jus. C. de Sacros. Eccles. l. si pradium C. de prad. min.* quem in modum etiam responderunt *Jurisconsulti Jenenses apud Richt. Decis. 71. n. 6.* verbis: *Da ihr nun erweisen könnet / daß erwehnte Gersten in der Stadt Nuß gewendet / so ist jetziger Stadt*

Stadt und Rath zu N. N. euch angeregte 57. fl. samt dem Interesse von Zeit an des Verzugs vollständig zu entrichten schuldig.

### IX.

Quæritur an confessio factæ versionis per Administratores prodita, civitati aliquod præjudicium adferre & creditorem ab onere probationis relevare possit? Negant hoc ipsum & rectè *Hart. Pist. d. q. n. 37. Carpz. Asyl. debit. §. 46. n. 235.* Hæc autem confessio facta in obligationis instrumento, etsi civitati non præjudicat, obligat tamen confitentes ad assistendum creditori pro juvanda probatione, faciendove ut quod dixerunt vel scripserunt verificetur, *l. 20. §. seq. C. de Evict. add. modò citatus Hart. Pist. d. q. 42. Gail. de arrest. c. 9. n. 5.*

### X.

Dictum cui incumbat onus probationis, consequens ergò videamus qualiter hæc probatio fieri debeat. Probatio, (quæ est actus judicialis, quo litigantes Judici de facto dubio vel controverso, fidem faciunt per idonea argumenta) ab effectu dividitur in plenam & minus plenam, hinc quæstio resultat quo genere probationis creditor uti possit? R. minus plenam sufficere. In illis enim quæ sunt difficilioris demonstrationis conjecturæ verò similes vicem probationis obtinent, add. *Andr. Gailius O.P. lib. 2. obs. 63. n. 5. Dn. Struv. Exercit. XVI. th. 21. l. 1. C. de test. 47. de leg. 1. l. 30. de vulg. §. pupill. subst.* Sufficit autem mutuum ab initio utiliter datum acceptumque fuisse, etiamsi utilitas illa non duraverit. *D. Mevius adjus Lubecens. l. 1. tit. 1. in addit. Menoch. de arbitr. Jud. q. l. 2. c. 432. n. 41. per l. 10. de neg. gest. l. 47. pr. de solut. §. liberat. 2.* Sufficit creditorem probare posse Civitatem ab urgente ære alieno esse liberatam, plura exempla recenset *Mev. d. l. p. 57.* An autem sufficiens sit probatio, si demonstret creditor,

tor,

tor, civitatem tempore crediti, pecuniâ indiguiffe elegans sed difficilis est quæstio, propter dissensum Interpretum, quorum alii hoc simpliciter admittunt, alii è contrario, (quibus & ego adstipulor) negativam strenuè defendunt, in super exigentes, ut probetur pecuniæ versio *per textum in cap. quod quibusdam extr. de fidejussor.* In hisce tamen probationibus, quod obiter noto, multum Judicis prudentis arbitrio est tribuendum.

## XI.

Secundum inter causas locum sibi vindicare solet materia, eaque vel Subjectiva vel Objectiva. Subjectum obligationis quæ sedem habet *in d. l. 27.* sunt personæ quæ obligantur & quibus obligatio acquiritur nempe Creditores. Obligatur autem Civitas non aliter, quàm si Administratores temporales quibus Reipublicæ cura demandata est, mutuum nomine Civitatis acceperint, illudq; in comodum ipsius conversum sit; Hoc ipso statim excluduntur illi, (1.) penes quos est summa potestas, (2.) removentur Administratores perpetui facta videlicet congregatione eorum qui totam Civitatem repræsentant, hi enim si contractum celebraverint indifferenter ea obligatur, nec necesse est probari pecuniam commodè esse erogatam, atque isto casu Creditor post moram paratam Executionem adversus Civitatem ejusque bona intentare potest *vid. Matth. Coler. d. part. 2. cap. 3. num. 36.* quod enim ab iis factum qui totam Civitatem repræsentant pro eo habetur ac si singuli fecissent, *arg. l. 3. quod cujusq; univers. nom. l. 14. l. 19. ad municip. de incol. add. l. 14. de pact. l. 15. §. 1. de dol. mal.* (3.) Excluduntur Administratores, qui à Civitate speciale habuerunt mandatum ad mutuum contrahendum *vid. Johan. à Sande. decis. aur. lib. 3. tit. 2. definit. 3.* (4.) Administratores sine mandato mutuum celebrantes, si per eos

B

Civi-

Civitas exercent quæstuariam artem *l. 7. ff. de Exercit. act.*  
 (5.) Administratores ex credito consentiente civitate contra-  
 cto quod ipsum quando fiat eleganter tradit *Mevius d.l. p. 57.*

## XII.

Quæritur an præsentis casu expressus consensus consilii totam Civitatem repræsentantis exigatur, an verò sufficiat tale factum ex quo verosimiliter consensus elici possit? posterius affirmo. Etenim nihil refert dicto an factò consentiamus, & aliàs plus ponderis habent facta quam verba *l. 48. §. 3. de edil. Edict.* confirmat hanc sententiam *Mevius cit. loc.* Præterea hic non præcisè requiritur ut consensus ab initio contractus adsit, sufficit enim si ex postfacto sequatur, cum rati habitio consensui æquivalet *arg. l. 12. de solut. § liber. l. fin. pr. C. ad SC. Maced. l. 60. 152. §. 2. de reg. jur. cap. rati habitio- nem de R. l. in 6.*

## XIII.

Cæterum nobilis & à Doctõribus valdè agitata occurrit quæstio; An casu quo Cives unanimi consensu contrahunt, singulariter an verò in universum obligentur & sic Executio facienda in bona singulorum an Universitatis? Non desunt, qui indistincte hoc modo executionem in bona Universitatis faciendam existimant, tum quod Universitas debet singuli non debeant *l. 7. §. 1. quod cujusq. univers. nom. nec sint singulorum quæ ad Universitatem spectant §. 6. Inst. de Rev. Divis.* tum quod bona singulorum impropriè dicantur Universitatis, ne circa unam eandemque rem plures constituantur Domini *§. 11. d. t.* Verum hoc non simpliciter admittendum sed distinctionis moderamen adhibendum arbitror; utrum videlicet omnes cives semetipsos singularim & expressè obligare voluerint, an verò saltim gubernatores perpetui,

tui, five ordo decurionum & trium consiliorum mutuam sumpserit? Priori casu dubium non est quin singuli cives teneantur, & singulorum bona obligata sint *vid. Hart. Pist. d. l. num. 10.* Posteriore verò major est controversia, an Ordo Decurionum triumque consiliorum legitime convocatus, accipiendo pecunias mutuas communi nomine Civitatis, possit omnia & singula hujus corporis membra ad hoc specialiter non convocata, item non consentientia & absentia obligare? Baldus (quem Dd. communiter sequuntur) existimat, tales personas non aliter intelligi obligatas, quam si ad contrahendum specialiter fuerint convocatae, quia nemo ex alterius contractu regulariter obligatur per textum *in l. 2. de Oblig. & Act. arg. §. 3. Inst. de inut. stip. huc facit l. 6. ff. de pollicit. l. 13. commun. præd. l. 17. in pr. qui & in quib. manumiss. 37. de privil. Cred.* Contrarium tamen *Bart. in l. 4. §. Actor. num. 4. de re jud. ejusque affectæ non improbabiler determinant, quòd nempe universorum civium bona pro debito communitatis per Gubernatores perpetuos, etiam absque speciali convocatione rectè obligari possint; & quamvis hæc posterior sententia juris rationibus sit convenientior, prior tamen plus æquitatis & humanitatis habere videtur, & propterea non rejicienda, teste Matth. Coler. d. p. 2. cap. 3. num. 375.* Prædicta tamen Baldi sententia multas & notabiles recipit limitationes, quas latius prosequuntur *Coler. d. l. num. 372. & seq. Carpz. Jurispr. Forens. Rom. Saxon. Part. 2. Const. 6. de fin. 25. Hart. Pist. d. q. n. 17. Richter. laud. decis. n. 12.*

#### XIV.

Absolutâ materiâ subjectivâ paucis agendum erit de objecto. Cum autem verba legis tantum de pecuniâ numeratâ, verbo pecuniæ simpliciter positô, sint concepta, primò intuitu videtur statuendum nummos saltem constituere Ob-

B 2

jectum

jectum hujus obligationis; Hoc tamen non obstante Doctores communiter contrarium docent, existimantes constitutionem hujus legis ad alias etiam quantitates pertinere *Hart. Pist. d. quest. 37. num. 27.* Rationem suæ assertionis desumunt ex eo potissimum, quòd *d. Lex Civitas* posita sit in titulo quo præcipuè agitur de mutui datione in genere; huc referunt quoque verba initialia legis quæ generaliter de mutui datione & acceptione loquuntur mutui autem Objectum præter pecuniam constituunt res fungibiles veluti: Vinum, oleum, frumentum *pr. Instit. quib. mod. re contrah. Oblig.* nec putant præterea sufficientem dari posse rationem, cur cæteræ etiam quantitates in commodum utilitatemque civitatis converti non debeant, *vid. l. 2. §. 3. de reb. Cred. l. 2. pr. de C. Const. pec.*

## XV.

Cæterum an beneficium legis Civitas ad alios etiam contractus præter mutuum sit extendendum, maximè controversum est? Simpliciter enim affirmanti in os reclamat textus *d. l. 27.* qui tantum de mutuo & jure singulari agit: Contrarium amplectenti refragantur textus *in l. 178. 222. de V. S.* placet itaque mediam viam eligere & in tanta legum inter se implacabilitate & contrarietate distinctione rem expedire. Nam quando talis contractus inter civitatem & creditorem est initus, qui utriusque utilitatem concernit, communitas efficaciter obligatur, etiamsi fidem non fecerit de versione is qui cum civitate contraxit, sicut hoc probat & eruditè defendit *Dn. Struv. Exercit. XVI. th. 23.* Si autem contractus principaliter & directò ad commodum civitatis tendat, firmiter statuitur, non aliter eam esse obligatam, quam si fides de versione facta sit. Ex dictis suâ spontè sequitur, dispositionem *d. l.* obtinere in Depositò à Magistratu Civitatis

ris

tis recepto, cum regulariter deponentis tantum gratiâ contrahatur *arg. §. pen. Instit. quib. mod. re contrah. Obl. l. 5. §. 2. commod. consentit Mervius decis. part. 5. decis. 383.*

### XVI.

Dispositionem igitur legis *Civitas* ad mutuum principaliter pertinere satis hinc fit manifestum; cum verò illud gratuitum sit vel fœneratitium (hæc distinctio licet jure Civili incognita, in praxi tamen recepta *Recess. Imp. de Anno 1654. §. Anreichend den Zins/ Recess. Deput. de Anno 1600. §. So viel nun/*) quæritur an utròque casu idem statuendum? *Aff. Hart. Pist. d. quæst. num. 28.* Incidenter venit tractanda quæstio, utrum usura juri naturali ac divino repugnet? Negativa verior est quam post alios defendit *D. Lauterbach. in Coll. MS. ad ff. tit. de usur. Hahn. ad tit ff. de usur. aliiq̃ue.*

### XVII.

Restat agam breviter quid observetur in fidejussione, quando nimirum Administratores nomine civitatis fidejusserunt? Circa hanc quæstionem valdè *Dd.* inter se discrepant; Quidam eam amplexi sunt opinionem, quòd civitas ob fidejussorem ab Administratoribus factam nullatenus obligetur, hocq̃ue ex eo probare conantur, quòd ille cui *Reipublicæ* cura demandata est bona saltem illius administrare non iis abuti debeat, pro aliis autem fidejubendo intercedere in effectu nil nisi abusum bonorum commissorum importet, aliam porrò deducunt rationem ex *l. 3. §. tot. tit. Cod. de vend. reb. civ.* ab hac tamen sententia multi recedunt propter disertum textum *in cap. quod quibusdam extr. de fidejuss. l. 6. ut leg. nom. cav. vid. Hart. Pist. d. quæst. 37. num. 29.*

B 3

Cum

Cum verò neutra sententia ita simpliciter & nudè posita procedat, rectè tradit *Mevius ad Jus Lubecens. Part. 2. tit. 3. art. 4. num. 7.* utramque sententiam veram esse, si distinguatur inter ñ obligari & validè obligari. Ipso jure quidem obligatur civitas ex fidejussione non secus ac ex alio contractu, validè tamen non aliter quàm si fidejussio commodè facta fuerit, quod actor probare tenetur, aliàs gaudet beneficio restitutionis in integram, per *l. 7. §. 3. ff. de minor. add. supra allegatus Pist. d. l. n. 60.*

### XVIII.

Forma ac differentia specifica, qua obligatio hæc est quod est, & ab aliis distinguitur dependet à fine & consistit in illa adstrictione & præstanda mutuum necessitate. Effectus est actio condictio scilicet certi ex mutuo seu actio mutui, *l. 5. C. quib. non objicit. long. temp. prescript. pr. Inst. quib. mod. re contrah. Oblig.* quæ est actio personalis, competens Creditori ex mutuo adversus debitricem Civitatem (in cujus utilitatem rem versam probavit) ex eadem causa, ad rem mutuo datam in eodem genere repetendam. Qualitates hujus actionis sunt quòd sit civilis, stricti juris & perpetua. Ex his porrò clarescit Creditorem hâc actione agentem ejus causam efficientem tanquam fundamentum suæ intentionis probare oportere, *arg. l. 2. de probat. add. Mascard. de probat. conclus. 1086.*

### XIX.

Sæpissimè verò contingit, ut creditor in probatione versionis, subcumbat, ne igitur omni prorsus destituatur auxiliò & manifestam rei suæ jacturam contra omnem æquitatem subeat, *l. 32. ff. si cert. pet. non sine urgente ratione*



tione actiones contra Administratores diriguntur per *textum in l. cautiones vers. cum autem C. de solut. § delib. debit. civ. ibi: siquidem sola scriptura pecuniam recipientis promatur, eam tantum defensionem convenit admitti, si quod solutum est, ratione Reipublicæ profecisse dicatur.* aliàs suscipiens solus restituet, *add. l. ult. ff. pro Empt. l. pen. de reb. eorum qui sub tut. Nec resistit huic sententiæ. l. ult. ff. de Inst. act. l. 5. §. ult. procurat.* Largiter quidem concedo Administratores civitatis in multis juris articulis cum procuratoribus convenire, interim tamen non ita conveniunt, ut nullum prorsus discrimen subsit. Quinimò insignis hoc in casu elucescit differentia inter Procuratorem & Administratorem, qui enim cum procuratore contractum celebrat, solius Domini intuitu, à quo is constitutus est hoc facit; qui verò cum Administratore contrahit videtur ejus fidem secutus, quam in pecuniâ eroganda adhibere debet *arg. l. 13. C. si cert. pet.*

XX.

Et hæc de Administratoribus modò enarrata adeò vera sunt ut non tantum ante sed etiam finito officio adhucdum teneantur, utroque enim casu eadem militat æquitatis ratio, ne si neminem habeat obligatum creditor in damno relinquatur *Hart. Pist. d. q. n. 66. Ant. Fab. in tit. Cod. de oblig. & Act. definit 4. & 5.* Disquiritur an protestatio ab Administratoribus interposita (quòd non velint obligari) contrarium operetur effectum ut creditor postea actionem instituere non possit? Sunt nonnulli in hâc opinione, moti per *l. 19. ff. si cert. pet.* contrarium verò tuetur *H. P. d. l. n. 67.* cum quòd ejusmodi protestatio sit fraudulenta tum quòd protestatio in his quæ non tam à voluntate nostra quam legum dispositione dependent facta nullius sit momenti.

XXI. Li.

## XXI.

Licet autem isto casu eſſet conditio ex mutuo *juxta citatam l. 19. de reb. cred.* alia tamen creditori conceditur nempe conditio causa data à causa non secuta *l. 14. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec.* confirmat hoc *Bachov. ad Tr. d. 20. th. 5. l. 1.* aliter sentit *Hart. Pist. d. q. n. 68. § seq.* ubi putat Magistratum ex dolo conveniri posse, sed difficulter hoc fieri posse videtur, cum actio dolo sit subsidiaria & non nisi deficientibus aliis remediis locum habeat, *l. 1. §. ait. prator. ff. de dolo*, ipse tamen *in fin. n. 70.* hanc assertionem rejicit, & ita sibi ipsi contradicere videtur.

## XXII.

Est autem positum in creditoris arbitrio, utrum separatim adversus Administratores, an verò alternativè contra civitatem & Administratores agere velit. Posteriore casu quando separatim contra civitatem actio dirigitur, rogantur Administratores ut liti adsistant, versionis probationes suggerant. Hoc si facere detrectent, tunc principaliter actiones contra ipsos diriguntur *vid. D. Richter. d. Decis. n. 7.* Etenim si non apparet, pecuniam vel aliam rem mutuo acceptam in publicam conversam fuisse utilitatem, præsumitur versio in rem propriam, & non tam administrationi quam dilapidationi talis contractus similis est, quæ in Administratoribus cujuscunque etiam conditionis non toleratur *l. 12. C. de transact. l. 7. §. 3. ff. pro Empt. Carpzov. Jurispr. for. part. 2. constit. 6. defin. 21. n. 5. Coler. de process. Executiv. part. 2. cap. 3. n. 35.* Nec possunt Administratores exceptione non versæ pecuniæ in rem civitatis sese defendere, cum hoc privilegium tantum sit concessum civitatibus

bus aliisque Universitatibus, non autem Administratoribus, qui ex proprio facto conveniuntur; *arg. l. 6. §. 2. ff. de jur. patron. Carpz. cit. loc. defn. 23.*

### XXIII.

Potest præterea creditor ab initio confestim antequam cum civitate agat, nobile officium Judicis implorare ut cogatur Administrator ostendere quò pervenerit mutuum, *arg. l. 38. de Evidt. Hart. Pist. d. l. n. 43.* Licet autem prædicta sententia ratione alternationis à magni nominis Doctoribus defendatur, posset tamen non immeritò quis dubitare an juris rationi (quod tamen veniã tantorum virorum dictum velim) ea sit conveniens? Sed ego suspendo hanc in parte meum judicium hancque quæstionem aliis discutiendam relinquo.

### XXIV.

Ultimo loco lubet inquirere, (1.) *an constitutio d. l. 27. tantum in civitatibus locum habeat an verò ad Ecclesias collegia, societates aliasq; universitates majores pertineat?* (2.) *An & quatenus collegium vel societas mutuum accipiens obligetur ex mutuo?* De Ecclesiis quidem res expedita est propter *Novell. 120. c. 6. §. 3. Nov. 131. cap. 13. & auth. Licentiam C. de Episc. & Cler.* Verùm dubio non caret an in collegiis societatibus aliisq; Universitatibus majoribus hoc etiam procedat? Dissidentes communiter adducunt specialitatem textus *d. l. 27.* quæ tantum mentionem civitatis non etiam collegiorum aliarumq; Universitatum facit; Verùm ex hanc legem non tantum obtinere in magnis Civitatibus, sed & in omnibus Universitatibus quæ alieno regimine  
C
utun-

utuntur dummodò gaudeant beneficio pupillari & in integrum restitui possint. *Hart. Pist. d. l. n. 26.* Gaudent verò Universitates majores auxilio pupillari & restituntur in integrum propter pupillos, minores, viduas, aliasq; personas miserabiles quæ in illis deprehenduntur *Berlich. decis. 216. n. 14. add. l. 3. C. de Jur. Reip. l. 4. C. ex quib. caus. major.* præterea per alios quoque reguntur ceu minor per curatorem, *Besold. lib. 1. polit. cap. 12. th. 64. n. 3.*

## X XV.

Perlustratâ priori controversiâ rectò pede ad alteram progressum facio, circa quam duo distinguendi sunt casus & breviter omnia quæ prius de Obl. Civ. dicta hic veniunt repetenda. Aut enim collegium ipsum vel Societas convocatis omnibus collegiatis aut sociis, aut etiam iis qui totum collegium vel societatem repræsentant & tam de maximis quam de minimis liberam statuendi facultatem habent, aut ejus bonorum Administratores mutuam acceperunt pecuniam. Priore modo probatio versionis non est necessaria juxta superiùs allegata. Sicut enim hoc in casu obligatur ex delicto ita etiam ex contractu ob paritatem rationis *vid. Carpzov. alleg. loc. defin. 18. Berlich. d. 301. num. 23. cum seq. Hart. Pist. lib. 1. q. 37. num. 1. cum seq. Gothofr. in not. ad d. l. 27.* Posteriore modo iterum distinguendum, inter Administratorem habentem mandatum generale ad mutuum contrahendum & illum qui speciale habet. Posteriore casu versionem probare non tenetur, sufficit enim si tempore crediti se in illam causam pecuniam mutuo accipere asserat *vid. Berlich. d. decis. n. 16.* priori verò casu probanda est versio per *auth. hoc. jus in fin.* exemplo tutorum & curatorum, ex quorum facto tunc de-

demum contra pupillum datur actio, si in rem pupillarem fuerit versa pecunia, *Coler. de process. Executiv. p. 2. cap. 3. num. 352.* Hæc tamen opinio suas habet limitationes, ut si collegium vel societas ab alio collegio vel societate mutuum acceperit; privilegiatus enim contra æquè privilegiatum non utitur jure suo *l. 11. §. pen. l. 34. pr. ff. de minor. & æqualia privilegia se invicem perimunt ac conquassant Berläch. dict. decis. num. 47.* Aliter hæc quæstio quoque potest decidi, distinguendo cum *Coler. de process. execut. part. 2. cap. 3. num. 348.* inter perpetuum & temporalem administratorem.

Hic inq; hæc Quæstione pedem figo & colophonem huic materiæ nobilissimæ impono. Tuum erit Erud. & Cand. Lect. hæc omnia serena fronte accipere & si quædam de Obl. Civ. minùs recta & inconcinna irrepsierint communi hominum vitio adscribere, admisis condonare & vegetiori judicio defectum refarcire. Etenim omnium habere memoriam & penitus in nul-

nullo peccare Divinitatis magis est  
quam mortalitatis. l. 2. §. 14.  
*de vet. jur. enucl.*

GLORIA SIT SUMMO  
GLORIA SUMMO  
DEO!











Altdorf, Diss., 1670-71

X 242 1345

1317





B.I.G.

Farbkarte #13

B. V!  
16.  
28

INAUGURALIS  
ATIONE  
TIS EX  
RACTU  
TUI

1671  
12

*f. de R. C. deprompta*

ESIDE  
OPT. MAX.

BILISSIMI ATQUE


MI JCTORUM  
DINIS  
corum Athenæo

Jure Honoribus ac  
ORALIBUS ritè

capessendis  
torum examini submittit

WILHELMUS WIELAND/

-Suevus.  
O. R. M. DC. LXXI.



DORFFL  
EYERI, Univ. Typogr.

